



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus X. Viduæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

pugnavit adversus lubricas Seculi mutationes, pugnavit adversus corporis fragilitates, adversus multiplices passiones. S. Ambrosius orat. de obitu valentini.

Regnabit in domo Jacob. Luc. 1. 32. In domo nempe illius, qui prius novit certamina, quam lucem: qui, ut sensit inimicum, non tempus expectavit, sed ab utero supplantavit fratrem. Gen. 25. 25. Nil magis pavendum Dei hostibus, quam forte, & intrepidum, initium pugnandi. Nonne Egyptij plures sustinere plagas? Ex. 12. 29. Sed cum vident primogenita occisa, tunc Israeli potestatem faciunt exundi. Nicetas in Naz. or. 2. de Pasch. neque enim eam plagam Egyptij perferre potuerunt; sed tunc Israeli discendi potestatem fecerunt. Eodem modo demonibus quoque, animarum nostrarum persecutoribus, gravissima hæc poena videtur; quando in animo, ab omni ostentatione alieno, primogenita peccati, id est, prima vitij origo, ac principium, à nobis extinguitur. Abraham, jugulaturus filium, Gen. 22. 20. Cum primum gladium stringit, ante ullam sanguinis effusionem triumphum, & coronam, obtinet. Sic orci hostes prostrati jacent ad primam educationem gladij. Bæza t. 1. l. 1. c. 7. §. 42.

Vincti dabo manna absconditum &c. Apoc. 2. 17. Per manna delicias præstat, ut mulceat; per calculum divitias, ut ditet; per nomen novam honorem, ut glorificet. Et quia omne, quod est in Mundo, est concupiscentia carnis &c. 1. Joan. 2. 16. Contra

concupiscentiam carnis manna præbet, contra concupiscentiam oculorum calculum candidum, contra superbiam vitæ nomen novum. De Ponte in Cant. 1. Exh. 15. §. 2. Optimè manna hæc sunt consolationes spirituales; quæ quasi congrua merces à Deo datur victenti, tum delicias, tentationes, & concupiscentias carnales; tum suum metum, & pusillanimitatem; qualis erat hæc Episcopi Pergameni. Cornelius hic.

Nec est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina. S. Ambros. Ethic. 1. 1. c. 15.

Summum victoriæ genus, divinæ cedere Majestati: & auctoritati Matris Ecclesiæ non reluctari, summus honor, & gloria. S. Bernardus in epist.

Cavendum planè nobis, nè victoriam Christi, quæ diabolum triumphavit, de captivitate ejus nos redimens sanguine suo pretiosò; & auferens ei humani generis principatum, nostrò vitiò irritam faciamus: illius tyrannidi, per illecebras carnis, ejus crudeliterum regno nos subjicientes, in contumeliam Redemptoris. Unde meritò conqueratur increpans, & exprobrans: *quæ utilitas in sanguine meo?* Pl. 29. 10. Sine causâ pro vobis sanguis meus effusus est; si ita vos geritis. Itaque conversamini, nè auctor cupiditatum malorum diabolus iterum principetur in vobis; spolia se tanto detraxisse victori prædo superbus insultans. S. Gaudentius tr. 12. de div. capitulis.

TITULUS X.

VIDUÆ.

§. 1.

Nomen, Symbola, Virtus.

A Pud Hebræos vidua *almana* dicitur; quod mortuò marito sit tanquam muta. Pagninus: quod virò mortuò non valeat loqui, & litigare. Diez.

Vox turturis &c. Cant. 2. 12. Cernere est, turturum (Symbolum viduarum) tempore suæ viduitatis, sanctæ viduitatis opus strenuè, atque infatigabiliter, exequentem. Videas ubique singularem; ubique gementem audias; nec unquam in viridi ramo residentem prospicies: ut tu ab ea discas, voluptatum virentia, velut virulenta, vitare. Adde, quòd in jugis montium, & in summitatibus arborum, frequentior illi conversatio sit: ut, quod vel maximè propositum pudicitiae deest, edoceat nos, terrena despiciere, & amare coelestia. Denique compare unò contenta est: quòd amissò alterum jam non admittit; numerositatem in hominibus nuptiarum redarguens. S. Bernardus l. 59. in Cant.

Duo vestium viduæ ornamenta sunt; necessitas, & simplicitas: duo actionum, & operum, ejus ornamenta sunt; humilitas, & charitas: duo linguæ illius insignia sunt; honestas, & verborum benignitas: oculorum decus, modestia, & pudicitia: & unicus cordis illius amor, Jesus Christus crucifixus. S. Franciscus Sales. in Philothea p. 3. c. 40.

Lampades, quarum oleum aromaticum est, dum extinguuntur earum flamma, longè gratiorem naribus halitum emittunt. Sic viduæ, quorum amor in conjugio purus fuit, suaviorem virtutis, castimoniam, fragrantiam exhalant; cum ipsarum lumen, id est, conjugium, per mortem extinctum est. Idem ibidem.

Non omnis vidua verè vidua; sed quæ pro Christo castitatem custodit. Et hæc honoranda; si expedit, ut alimentis Ecclesiæ pascatur. Ut 1. Tim. 5. 3. scribit apostolus. Non est Christi vidua; nisi viduæ hujus Luc. 2. 37. Tam antiquæ formam accipiat, ut non discedat à templo. Refrananda sunt omnino jejunijs incentiva libidinis: nec sufficit

Q99.992

pulla

pulla vestis, si exulta caro nitescit, si ex cibo crassescit, si ex nimio potu somnescit: non ferviat Mundo, sed Domino. Sim. Cass. l. 2. Luc. 2.

In honesto loco consistens: quia decet eligere viduas habitacula honestatis. - Ibi habitare præfigant, ubi testes devitate non possunt. Confert ad custodiam castitatis, ubi humani devitari non possunt aspectus. Surrexit sæpe importuna tentatio delinquendi, ubi nullus timetur aspiciens: nec deserenda sunt loca, quæ conferunt ad officium sanctitatis. Idem ibidem in illud: quæ non discedebat de templo.

§. II.

Viduarum tutela, patrocinium.

Ex Veteri.

Sanguinem animarum vestrarum &c. Gen. 9. 5. Sanguis animæ lacrymæ sunt, ut dicit Augustinus: quas Dominus vindicat in oppressione pauperum, & viduarum. Hugo Card. hic.

Deus magnus, potens, & terribilis; qui personam non accipit, nec munera. Facit judicium pupillo, & viduæ. Deut. 10. 17. 18. Ecce tibi, magnus, & potens Dominus de universis sæculorum negotijs, qualia sibi deligit judicanda; utpote in suo conspectu graviora: nimirum facit judicium pupillo & viduæ. Sequebatur hoc exemplum Theodorici rex apud Cassiodor. l. var. 8. cordi nobis est, cunctos in communi protegere; sed eos maxime, quos sibi novimus defuisse. Sic enim aequitatis libra servabitur, si auxilium largiamur imparibus; & metum nostri pro parvulis, insolentibus opponamus. Fortuna minor principem quærit. Et sanè pro oppressis debilibus inventus est principatus: nec unquam Deus principem constituit, cui summa, & prima illa pauperum negotia non indiceret. Sic Pf. 71. 2. *Deus judicium tuum regi da -- judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio.* Bæza t. 3. l. 14. c. 16. §. 23.

Heu mulier vidua ego sum. 2. Reg. 14. 5. Mittit Joab Thecuitelem ad David, ut pro Absolone deprecaretur. Non quærit Joab aulicos, & amicos regis; sed tantum obijcit viduam lacrymantem. Abulens. q. 10. vocat se viduam, ut significet, se esse personam miserabilem; & moveatur facilius rex ad misericordiam, & expediendam causam. Sylveira in Luc. 7. 13.

Pater orphanorum &c. Pf. 67. 6. Quocirca nemo pupillos injuriâ afficiat, Patrem cogitans; nec viduam opprimat, Judicem ob animum sibi proponens. S. Gregor. l. 1. ep. 60. Pastoralis regiminis necessitate compellimur; ut orphanorum, viduarumque, causis solertiùs, quam curis cæteris, insistamus.

Ita scripsit, nec secus fecit: cujus in libro inscripta erant nomina, qui Romæ vel inopiâ, vel injustitiâ, laborabant. Audiebat orphanos primùm, deinde Legatos: præ omnibus viduas, & oppressores; tum Cancellarios. Priùs, quam scriberet ad Mauritium Imperatorem, libellis pauperum subscribebat. Oliva t. 1. Conc. 28.

Viduam ejus benedicens benedicam. Pf. 131. 15. Vidua Christi dicitur Ecclesia: quia omni auxilio destituta Mundanò, solam spem suam ponit in Domino: patiturque, quod vidua, improbitates malorum, direptiones crudelissimas impiorum; & tanquam maritali auxilio destituta, semper moeret, semper atteritur. Cassiodorus hic.

Ostendit deposita esse hæc, & victualia, viduarum, & pupillorum. 2. Machab. 3. 10. Director templi Heliodorus virgis dire concessus. v. 16.

Ex Novo, Patribus & aliis.

Comeditis domos viduarum. Matth. 23. 14. Emungebant domos viduarum, & bona, sanctitati prætextu; fingentes longas preces, tam pro ipsis viduis, quam earum maritis defunctis. Ita S. Chrysol. Paschas. Theophylactus.

Reliquistis, quæ graviora sunt, legis, judicium, & misericordiam. Matth. 23. 23. Majora dico negotia; non, ut quidam aestimant, controversias, quæ inter claros, divites, potentes, incidunt; sed quoties privati, egeni, obscuro, premuntur à potentioribus; cum nulla præsidij spes est, nisi à Judice. Philo l. de creat. principis.

Socrus Simonis tenebatur magnis febribus. Luc. 4. 38. Quæ nunc sanata est, vidua erat. S. Ambros. l. de vid. Nota: primùm miraculum à Domino in muliere operatum fuit in hac vidua: quia viduæ calamitas ad sui miserationem maxime movet. Sylveira hic.

Misericordiâ motus super eam. Luc. 7. 13. Filiam Archi Synagogi suscitaturus quanta agit? Marci 5. 38. plorantes reprehendit, sublannantes patitur, tibicines expellit, parentes defunctæ vocat, Discipulos inducit, defuncto manum tenet, alloquitur, tandem vitam revocat. Verùm occurrens filio defuncto unico matris viduæ, mox eum matri vivum restituit. S. Ambros. l. 6. in Luc. causam ait esse: quia vidua erat; mater unici non patiebatur moras. Prima Ethol. 32. Viduæ lacrymæ Unigenitum traxerunt ad restituendam unigenito vitam. S. Basilius Seleuc. or. 10.

Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat & hominem non reverebatur. Vidua autem quædam erat in civitate illa &c. Luc. 18. 2. 3. O quoties Ethnei Judices causas viduarum,

rum,

rum, & pupillorum, acrius tuiti, quam Christiani. Sylveira in Act. 25. q. 4.

Viduas honora. 1. Tim. 5. 3. Honor in Scriptura, non tam in salutationibus de ferendis, quam elemosynis, ac munerum

oblacione, sentitur. S. Hieronym. in Matth. 13.

Duo ista nomina (viduæ, & pupilli) in quantum respectui humano, in tantum divinæ misericordiæ exposita suscepit tueri Patet omnium. Tertull. l. 1. ad ux. c. 8.

TITULUS XI. VIGILANTIA.

Speculatorem dedi te Domui Israël. Ezech. 3. 17. Vigilantiæ Pastorum Symbolum sunt psittaci Brasiliæ; qui, dum gregem pascuntur, speculatorem unum è grege suo collocant in arboris cacumine: qui, si quid periculi superveniat, signum edit; quò reliqui possint avolando sibi consulere. Cornelius hic.

Vigilate. Matth. 24. 42. Opus est vigilare, sive vesperi, id est, in juventute; sive mediâ nocte, id est, in medio vitæ humanæ tenebrôsæ; sive galli cantu, quando jam Senior est; sive manè, quando jam senectute provectâ est. Origines tr. 30. in ep. Tim. 24. Quatuor sunt, quæ faciunt hominem vigilare: galli cantus, id est, prædicatio divini verbi: solis ortus, id est, Christi gratia: timor furis, id est, consideratio mortis: sollicitudo rei familiaris, id est, desiderium Regni cœlestis. Hugo Card. hic.

Si in secunda vigilia. Luc. 12. 38. Pri-

ma vigilia primævum tempus est, id est, pueritia: secunda adolescentia, vel juvenitus: Tertia senectus accipitur. Qui ergo vigilare in prima vigilia noluit, custodiat secundam. Et qui vigilare in secunda vigilia noluit, tertiæ vigiliæ remedia non amittat. S. Gregor. hom. 13. in Matth. 25.

Revera plus vigilare, plus vivere est. S. Chrysol. f. 24.

Perniciosissimus nimis est repentinus hostis, nam aut inscios prævenit, aut incautos præoccupat, aut opprimit dormientes. Hinc est, quòd Christus Rex nosset ante sacula per totam sæculi noctem milites suos præmandatis vigiliarum vicibus commonuit, contra diaboli, id est, veteris hostis subtilissimum dolum. Idem f. 27.

Antiqua est familiarum devotio; familiare bonum omnibus Sanctis. S. Isidorus de offic. Eccl. l. 1. c. 22.

TITULUS XII. VINUM.

NOË plantavit vineam. Gen. 9. 20. In Symbolis Romanorum reperimus: Noë, qui primus vineam plantavit, quem Janum illi dicebant, miscuisse viti, & vino, sanguinem quatuor animalium, simiæ, leonis, porci, & agni: quia vinum facit vel motiones, quasi Simias; vel pugnaces, ut leones; fœdos, ut porcos; alios mansuetos, blandos, pios, ut agnos. Cornelius hic.

Bibensq, vinum inebriatus est. Gen. 9. 21. Aquæ infinitæ non potuerunt, vincere ipsum; vinum autem vile inter dormiendum justi viri corpus nudavit. A modico, vilique, vino victus est dormiens. S. Ephrem de Virginitate.

In quo augurari solet. Gen. 44. 5. Tradit Julius Sirenius l. 9. de fato c. 18. Egyptios, & Assyrios, pelves, & scyphos, aquâ replere; deinde certis verbis dæmonem advocare solitos; ac tum dæmonem, instar sibi, ex aqua dedisse responsa. Dices: ergone Joseph talem hic se profiteatur magnum?

Respondeo: pro *augurari* Hebr. est *nasas*, quod significat *presagire*, & divinare; sive augurio, seu naturali sagacitate. Unde Chaldaus vertit: *probare*. Joseph ergo hęc scypho, eum vinò plenum hospitibus suis propinando, naturaliter divinabat, & explorabat; hospitum suorum temperantiam, prudentiam, & arcana cordis: & hęc explorabat, quis fratrum in Benjaminum esset animus? Cornelius hic.

Vinum latificat. Judic. 9. c. 13. Calefacit, laxat, funditque cor, ideoque latificat: laticia enim est cordis laxatio, & diffusio; quam facit calor. Tristitia verò ejusdem contractio, & torpor; quam causat frigus: quare indicibilem sympathiam habet cum corde. Cornelius hic.

Aquam vinum factam. Joan. 2. 9. Et si aquam vinum in nuptiis fecerit, non tamen permisit inebriari. Clem. Alex. pæd. l. 2. c. 2.

Si quid itaque in me potest esse consilij, si experto creditur: hoc primum moneo, hoc